





DEI
& Superiorum Gratia 1664, 20

T. LIVII.

ROMULUM,

Discursibus historico-politicis
illustratum,

In Academia Lipsiensi

publicè sistunt

PRÆSES

M. CHRISTIANUS Weise /

Zittâ Lufatus

& Respondens

Heinrich Gottlob von Oberländer /

Eqves Lufatus.

ad d. $\frac{20}{30}$. April. M DC LXIV.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,
LITERIS COLERIANIS.

AMANTISSIME
DNE. PARENS
DN. IOH. GEORGE
ab Oberländer/

IN Oberleutersdorff HÆREDITARIE & c.
ASPICE INDUSTRIÆ ACADEMICÆ
PRIMULAS,

ET QVIA NULLIS MERITIS AMOREM
PATERNUM ADÆQVARE LICET

IN FILIALIS OBSERVANTIÆ TESSERAM
OBLATUM TIBI HOC SPECIMEN
NE DESPICE,

TIBI HACTENUS OMNIA DEBEO,
TIBI OMNIA QVÆ MEA SUNT
ETIAM SERVIANT,

DEUS TE SERVET INCOLUMEM
TUO

OBSEQVENTISS. FILIO
HEINRICO GOTTL. ab Oberländer.



C. B. D.

PRÆLOQVIUM.

Aditos principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere, illicitum, anceps; nec ideo assequare; sic non absurde dixit Tacitus. a) Quia enim imperare nihil aliud est quam legitime fallere populum b) atq; in aulis hinc inde regnare videtur Tiberius, quis adeò possit esse Lynceus, ut obscuram simulationum & dissimulationum transfennam sua acie metiri ac percurrere audeat? Reperimus hic crepundia; sed non è cistellis Plautinis c) deprompta: offert se fucus; ast subtilior purpurisso Solimanni, quo ad fallendos exterorum Legatos faciem illinere solebat: d) Venditur fumus; sed cujus mercatura privatis interdicta. e) Uno verbo, omnis Respublica est instar scenæ & comœdiæ. Nam ut in comœdia representantur res, quæ nunquam fuere, & personæ tales finguntur, quæ nunquam extiterunt: ita in Rep. quoad res & personas, omnia alia in specie ostenduntur, alia re ipsa sunt. f) In ancipiti igitur hac via expectandus eventus, qui consilia hætenus obscura, ipsi meridiano soli exponit. Is aperiebat tandem civitatibus Græciæ quid vapido sub pectore servasset Philippus: g) nec celabat Romanos, finito bello, quæ Evmenis Regis contra Persen fuissent querelæ h) ostendebat etiam M. Claudio Marcello, quo Cæsaris vergerent consilia. i) Atq; ista eum in finem dicuntur, ut ad discursum historico-politicum de ROMULO fiat præparatio. Siquidem nos non in obscuris rerum adytis macerabimus cogitationes, sed potius ad ea convertemus animum, quæ in apricum ætas dudum protulit. FAXIT DEUS FELICITER!

a) Annal. lib. 6. cap. 8. b) Plato de rep. c) Cistell. act. 4 sc 1. d) Busbeq. ep. 1. p. m. 77. e) Boccalin. cent. 2. cap. 65. f) Boxhorn. Institut. Polit. l. 1. cap. 15. explanat. g) Justin. lib. 9. h) Livius lib. 42. i) Sveton. Jul. Cæs. c. 28.

THESIS I.

ROMULUS
duorespexit
propriam
Dominatio-
nem & Rei-
publica po-
tentiam.

Accedimus nunc propius ad *sapientissimum a) Romulum*, qui, sicut omnes alii, duplicem actionibus præfixerat finem, *primarium* alterum, alterum *secundarium*. Primarius quidem ipso Livio teste *b) ab avito malo regnandi libidine* propositus nihil aliud erat, quam *propria & solitaria dominatio*, cuius pulcherrimum nomen ita quorundam præstringit oculos, ut cum *Jasone c) extra regnum* ne minimam quidem quæri posse felicitatem affirmare non dabitent. Secundarius vero sine quo prior vix obtineri potest, in ipsius *Reipublicæ potentia* consistebat. Respublica enim si absit, quæ futura est dominatio? talis forsan, qualem *Perfes Paulo Consuli supplex d) & Marobodus ad Tiberium profugus e) subscriptis regiis titulis somniarunt*; vel qualem apud Pontificios *Episcopi Hierosolymitani, Corinthii, Philippenses, aliarumq; ecclesiarum à Turcis ereptarum sibi tribuere solent f)*

a) Flor. lib. 1. cap. 1. b) cap. 6. c) Arist. 3. polit. 3. d) Flor. lib. 2. cap. 12. e) Tacit. 2. Ann. cap. 63. f) Boxhorn. Inst. Pol. expl. in lib. 1. cap. 4. §. 4. Cyr. Lentul. Aul. Tiber. ad 5. Annal. Tac. n. 21. fin.

Dominatio
nem acqui-
rebat, suam
personam
ornando;
Populum in
amore & ti-
more simul
conservan-
do; Amu-
los è medio
tollendo.

II. Dominationem quod spectat, quia triplices in ea occurrunt personæ, triplici quoque ad eandem obtinendam opus fuit consilio. Primo enim se ostendit ipsa *dominantis persona*, quæ vario splendore ornanda & subditis commendanda est. Nam si *imperare est divinitatem emulari*, a) si etiam *Majestas Augustino rectè audit tradux cæli*, b) eo anniti debent Principes, ut magno intervallo à subditis separati videantur, quemadmodum *Dei immortale simul mortalitas nostram superat & præcurrit mortalitatem*. Excipit principem altera persona, quæ est *obsequentium s. populi*, illa par- tim ad amorem allicienda, partim in timore conservanda est. Quamquam enim *hæc est arx inaccessa & inexpugnabile munimentum munimento non egere c) atq;*

Non sic excubie nec circumstantia tela

Quam tutatur amor: d)

Tamen quia *nihil est incertius vulgo, nihil obscurius voluntate hominum e) salutaris rigor interdum vincat inanem speciem clementia f) dummodo fides metu non frangatur. g) Tandem insultant*

Amuli

Emuli, qui quoniam, ut Cicero loquitur b) eo quod concupierunt, alius potitur ipsi carent, atque vel cum Cesare dignitatem comparare, vel cum Crasso augere, vel cum Pompejo retinere cupiunt i)

Exercunt pretiosa odia & constantia magno k)

in eoque certamine vel frangi vel flecti coguntur. l) In omnibus quid praestiterit Romulus sigillatim dispiciemus.

a) Cic. lib. 3. de Orat. sect. 164. b) Boet. lib. 1. cap. 4 §. 3 expl. c) Plin. Panegy. cap. 49. d) Claudian. ad Honor. Cael. 4. v. 281. e) Cic. orat. 23. pro L. Murena n. 36. f) Ammian. Marcellin. lib. 29. g) Tacit. 3. hist. h) 4. Tusc. n. 18. i) Flor. lib. 4. cap. 2. k) Ovid. Heroid. ep. 7. l) Böcler. not. polit. Tac. Annal. lib. 1. cap. 2. n. 10.

III. Suam profecto personam egregie commendabat originis divinae commento: etenim *omnibus innatum est & quasi insculptum esse Deos a) eosque, ut Aristoteles differit b) si vim spectes potentissimos, si decorem formosissimos; si vitam immortales, denique si virtutem praestantissimos.* Quos igitur quomodocumque divinae naturae participes esse crediderunt homines, his etiam omnibus votis & suffragiis maximum reverentiae cultum, in Deorum honorem adjudicarunt. Plenae sunt ejusmodi exemplis Poëtarum fabulae, ubi certatim avos & proavos divinitati ascripserunt. Commodè se offert Locus Ovidii c) ubi Helena Paridis irridet jactantiam, ipsa ridenda

*Se ornabat
i. Origine
Divina*

qui tibi gloria magna est

Quintus, is à nostro sanguine primus erit.

Noverat id Alexander M. hinc optabat ut Indi quoque se Deum esse crederent, d) feliciores exinde sibi promittens bellorum successus. Neque vero ab omnibus superbia factum, sed potius necessitate existimamus. *Ubi enim defecit nomen illustre, Deum finxerunt e) ne victos ac stigmatibus notatos, & carpones ac sutores suo generi annumerare cogerentur. f)*

a) Cic. 2. Nat. Deor. b) lib. de Mundo cap. 6. c) Heroid. epist. 17. v. 60. d) Curt. lib. 8. cap. 39. e) Seneca de benef. 1. 3 cap. 23. f) Dio Prusæus Orat. 15.

IV. Quemadmodum autem circa Lunam fusae stellulae magnam nocturno tempore caelestibus tractibus conciliant gratiam; ita etiam Romulus noster variis consiliis indulgebat, quae divinitatem hominum credulitate stabilitam magis magisque illustrare poterant. *Urbem à suo nomine vocabat: sive ut omnes*

*2. Nomine
Urbis.
cap. 7.*

uno nomine se tanquam Patrem agnoscerent, sive, quod magis
credibile est, ut crescente Romanæ Urbis potentia, suum quoque
nominis decus ad aliquam excreseter amplitudinem. Nec
solum id præstitit Romulus, referunt Autorum nomina, Alexan-
dria, Norimberga, Constantinopolis, Adrianopolis, aliaque: imo
Tyrrhenus pervectus in Italiam & loco & incolis & mari nobile
ac perpetuum à se nomen dedit a) felicior hac in parte Imp.
Commodo, Romam frustra & sine successu nominante Com-
modianam. b)

a) Vellej. lib. 1. cap. 1. b) Facius polit. Livian. p. 31.

3. assumtis
in signibus
cap. 8.

V. Acquiescere hic potuisset Romulus, sed ecce novum
ornamentum, *mutatus habitus, assumtaque insignia*; probatus attra-
hendæ reverentiæ popularis magnes. Vivebat enim in Rep. rudi
adhuc, agrestique hominum colluvie plena, quæ opinionibus potius
quam veritate trahi poterat. a) Certum est, ut de amatoribus scri-
bit Ovidius b)

Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur

Omnia, pars minima est ipsa puella sui.

Sæpe ubi sit quod ames inter tam multa requiras.

Decipit hac oculos egide dives amor.

ita quoque vulgus externa rerum specie maximopere se com-
moveri patitur. Inde tot in Coronationibus Imperatorum so-
lennia; c) Interdictio purpuræ vel ab Augusto plebej in juncta
d) vel à Nerone ad ipsos Senatores extensa: e) Usus etiam Cæsa-
riæ tantum stirpi in Gallia olim concessus f) & quæ sunt
alia. Laudatur Syracusanus Hiero g) quod *nec vestis habitu, nec
ullo alio insigni differens à cæteris visus fuerit*: Verum prægna-
ns hujus instituti suberat ratio: delectatus siquidem isto cultu fue-
rat Tyrannus Dionysius, quare post tyrannidis abrogationem,
omnia removenda erant quæ vel minimam ejus referebant no-
tam; & hinc, cum in filio ejus Hieronymo conspicerent purpu-
ram ac diadema, Patri concessum obsequium in novam muta-
bant seditionem. Idem arcanum Augusto obversabatur h) &
Tiberio *valido assermandis honoribus i)* ita quidem ut Dominus
indigitatus, rogaverit, *ne se contumeliæ causa ulterius appellarent,*
k) Quicquid etiam sit de mente Alphonfi l) qui apud suos mori-
bus

bus & autoritate malebat excellere, quam Diademate & purpura: Ludovico XI. Galliorum Regi profecto magnum dedecus & ludibrium conciliavit miser tenuisq; vestitus. *m*) Et cur quod Deus in Aarone summo Pontifice non probavit saltem, sed potius mandavit *n*) in Regibus & Principibus velimus carpere? Tantum ergo abest, ut merito culpet Romulum Plutarchus *o*) *pupugisse civium oculos ejus superbiam, ut magis dicamus, quod Florus p*) de Tarquinio asserit, *magnam populo ex habitu accessisse dignitatem.*

a) Cic. Orat. 3. pro Qv. Rosc. *b*) lib. 1. remed. *c*) Limnæus Jur. publ. lib. 2. cap. 4. Reinking. de Regim. scul. S. R. I. lib. 1. class. 3. cap. 8. *d*) Dion. lib. 49. *e*) Sveton. Ner. cap. 32. *f*) Job. Tilius lib. 2. de reb. Gall. *g*) Liv. lib. 24. *h*) Sveton. cap. 73. *i*) Tacit. Annal. lib. 4. *k*) Sveton. cap. 27. *l*) Panorm. lib. 1. de reb. gest. Alphons. *m*) Comin. Comm. lib. 3. *n*) Exod. 28. *o*) Romul. cap. 13. *p*) lib. 1. cap. 8.

VI. O immortalitatis amor, quibus artibus non instruis ^{4. erecto} tuos fautores! Hoc tandem ad perficiendam Majestatem resta- ^{trophæo} ^{cap. 10.} bat, ut nominis gloria adversus temporum & oblivionum injurias præmuniretur. Sicut enim in hominum potestate non est oblivisci *a*) mala sibi illata, exemplo Junonis *b*) cui

*Nec dum etiam cause irarum sevig, dolores
Exciderant animo:*

ita etiã qui benefecerunt alteri, sæpius illud ingeminare coguntur

c) *Cunctane in æquoreos abierunt irrita ventos?*

Cunctane lethæis mersa feruntur aquis?

Hinc erectum trophæum, suspensa cæsi hostis arma, perpetuumq; gratæ recordationis inventus stimulus. Consistamus hic paulisper atq; miremur eximiam Principis nostri sagacitatem. Sciebat raros honores esse gloriosos, effusos obsoletos *d*) vel ut ait Livius *e*) *multitudine compotum vulgari laudem.* Difficilis igitur ad merendum trophæum sternebatur via, cædendus videlicet in duello hostis erat, quæ res quam sit ardua, testari potest mira exemplorum paucitas. Tres enim in tanto Heroum numero reperti sunt, quibus fortuna in duello subjecit adversarium. *Romulus vincens Acronem; Cornelius Cossus superans Volumniam Tuscorum ducem, & Claudius Marcellus cædens Gallorum regem Viridomærum f*)

a) Tacit. vit. Agric. præf. *b*) Virg. 1. Æneid. *c*) Ovid. 1. Trist. eleg. 7. *d*) Corn. Nep. Miltiad. cap. 16. *e*) lib. 1. cap. 10. *f*) Plutarch. Romul. cap. 9.

Populum
in amore
retinebat
1. Religionis
antiquæ cul-
tu. cap. 7

VII. Hactenus seipsum ornavit Romulus, nunc etiam, cur placuerit populo inquiramus. *Omnes homines natura libertati student* a) atq; *inestimabile bonum est suum esse*, b) ergo quid acceptius suis conferre potuisset libertate? Est autem libertas duplex, altera *conscientie s. religionis*; altera *civilis s. politica*. De libertate religionis, quin eam permiserit, nullum est dubium, siquidem se ad *sacra patrio ritu facienda accommodavit*. *Moventur certe omnes religione, & Deos patrios, quos à maioribus acceperunt, colendos sibi diligenter & retinendos arbitrantur*. c) Non opus est ut longè discedamus in præterita secula, ac antiquitatis renovemus memoriam: clamant adhuc damnūq; irreparabile sibi inflictum testantur præcipuæ in Europæ provinciæ. Quid effecit nunquā satis detestanda Hispanorum inquisitio, quam præter rem nimis extollit Didacus Saverda? d) Belgium sanguine inundatum imperio Hispanico abscidit. e) Opus scilicet erat antesignanis qui glaciem frangerent Lusitanis, extremarumq; Indiarum regibus. f) Imo ipsam vastavit Hispaniam præcipiti & imprudenti Maurorum proscriptione. g) Quid non excitabant religionis dissensiones in Anglia, sub Maria præcipuè & Elisabetha? h) De Gallia vero, quis sine horrore miserorum Waldensium & Hugonottarum clades legere & cogitare queat? Geret regnum alias celeberrimum, & per nulla secula absterget maculam in vigilia S. Bartholomæi assumptam, i) ubi in nuptiis funestissimis *plus sanguinis quam vini effusum fuisse*, ipsi Galli testantur. Jubilet Muretus k) illamq; noctem appellet *memorabilem, & in fastis eximia alicujus nota adjectione signandam*: Satis, profecto, superq; crudelitatem istam, Rex Carolus IX. sanguinis profluvio inter gravissimos dolores expirans, luere coactus fuit. l) Quid multis? Aspicimus Patriam nostram dulcissimam superiori quidem seculo ad bellum Smalcaldicum coactam; m) nostro autem tempore, accensis in Bohemia flammis n) ita deformatam, ut ante annos sedecim & ultra Germaniam in ipsa Germania multi quæsierint. Videt hoc, & in pessimum Christiani nominis excidium considerat Antichristus orientalis, qui sæpius ad Judæos, Christianos aliosq; extirpandos instigatus, ad eundem cum Europæis lapidem impingere nefas duxit. o) Merito igitur crebris sermonibus ante
obitum

obitum sibi gratulatus est Ferdinandus I. p) quod ad sedandas discordias publicas animum adiecisset, & tolerantia in religione formulam Deus sibi in mentem dedisset. q) Excipimus tamen hoc loco religiones, quæ, ut superiore seculo Anabaptistarum, r) hodie Quakerorum s) Magistratibus se opponunt: illos enim extirpandos & è medio tollendos quivis facile concedet. Hinc etiam quod Imperatores Romani credebant Judæos ac Christianos nocere imperio, tot persecutionibus eosdem conficere potius, quam suam potentiam in discrimen adducere decreverant. De Judæis quidem inquit Cicero t) armis eosdem ostendisse, quid de Imperio Romano sentirent: De Christianis vero Svetonius u) ait: *Judeos impulsore CHRISTO assidue tumultuatos esse.* At laudabilis est Trajani ad Plinium epistola, vv) in Christianos non prius animadverti debere, quam ubi eos aliquid contra Imperium moliri cognovisset. Cæterum, quid sentiendum de iis, qui dum seditiosis populis imperant, ad tollendam inter ipsos concordiam, diversarum religionum semina spargunt, non disputabimus. Placuit hoc Jeroboamo x) qui mutato Dei cultu suos subditos à reliquis Judæis penitus abstraxit, nulla relicta occasione cogitandi de pristino Davidis & Salomonis imperio. Simile finem proposuerunt sibi Ægyptii reges: cum enim factionibus deditissima sit illorum natio, ita ut factis fossis in Civitate Cairo conventuum & conciliabulorum copiam præripere necessum fuerit, y) non nisi per religionum diversitatem dissociare poterant animos, z) unde plerumque animalia effigiesque compositas eosdem veneratos tradit Tacitus. aa) Idem cum Christianis tentavit Julianus bb) quod subodoratur Augustinus, cc) *Eo modo, inquit, putat Christianum nomen posse perire de terris, si unitati Ecclesie, de qua lapsus fuerat, invideret, & sacrilegas dissensiones liberas esse permetteret.*

a) Cæs. lib. 2. bell. Gal. b) Senec. ep. 76. c) Cic. in Ver. Act. 4. cap. 5. d) Idea Boni Principis Symb. 24. e) Eman. Meteran. hist. Belg. l. 1. f) Adolph. Brachel. lib. 6. p. 64. g) Joan de Laët Hisp. p. 101. h) Arnold. Montan. cap. 24, 25. i) Thuan. Hist. part. 2. lib. 52. k) lib. 1. Orat. 22. l) Everard. Reidan. Ann. lib. 3. m) Sleid. lib. 8. & 9. n) Brachel. lib. 1. pag. 5. o) de Solimanno vid. Parei Medull. hist. p) Crato à Crafftheim in epist. præliminari in Dubravii historiam Bohem. q) Sleid. lib. 24. confer. Gottf. Syevi Disputat. de Pace religiosa

religiosa habit. V Viteberg. r) Sleidan. lib. 10. s) Novell. vid. Minist. Hamb. Obacher greuel cap. 10. t) Cic. Orat. 24. n. 69. u) Sveton. Claud. cap. 25. vv) l. 10. ep. 97. & 98. x) 3. Reg. 12. y) Forstn. not. pol. in Tac. Ann. lib. 4. cap. 2. z) 5. histor. cap. 5. aa) ibid. bb) Ammianus lib. 22. cap. 7. cc) epist. 166.

2. In securi-
tatem Tyran-
nidis Patrum
electione
cap. 8.

VIII. Sed ne præter modum simus prolixi, ad alteram libertatis partem proferamus pedem. Mira certe res, Imperium & libertas, duo dissociabilia a) concordem nunc claudant coronam? objiciat aliquis libertatem à Bruto demum institutam b) & sub Regibus libertatis dulcedinem nondum fuisse compertam. c) Ast quod Cicero aliquo loco d) dicit: aut exigendi reges non fuerant, aut plebi re non verbis danda libertas, id nostro negotio appositè possumus accommodare: Nam distingvendum inter umbram libertatis & ipsam libertatem e) s. inter speciem dignitatis & potestatem ipsam, f) utram possideat populus parum refert. Magnam igitur libertatis speciem dabant electis centum Patribus s. Senatoribus, omnesq; sperabant, Imperium jam esse divisum, & penes honoratioribus & potiores è populo collocatum: Verum si res ipsa ponderetur nunquam magis laboravit libertas. Videbat enim dux callidissimus, esse aliquos naris emunctioris viros in civitate, qui facile potuissent machinas hinc inde structas deprehendere; hinc implicabat eosdem negotiis honorificis quidem, ast etiam onerosis, ut istis alia cogitantibus, sibi pateret amplius ad Monarchiam aditus. Eodem artificio Romanæ Monarchiæ incunabula fovebant Cæsar g) Augustus h) Tiberius i) aliiq; qui castigatis oblique Patribus, quod cuncta curarum ad principem referent, causas privatas, judicia, postulata provinciarum, & alia ad remp. minus spectantia humeris ipsorum imponebant, & ista adversus suam sententiam decerni ne querebantur quidem, k) ut cum Tiberius CHRISTUM inter Deos referre vellet, reclamante Senatu à consecratione abstinebat. l) Interea ipsi invadebant libertatem. Sic Jethro Mosi dabant consilium, ut inferiores constitueret Judices, qui nihil nisi quæstiones difficiliore ad eum remitterent. m) Atq; hoc est quod volebat Cromwelus, dum Parlamentum Anglicum veterem libertatem spirans, omni ex parte immutaret. n) Nec alieni sunt ab hoc instituto Reges Galliæ, quare tot Parlamenti Parisiensis controversiæ cum Henrico IV. o) Carolo IX. p) Francisco I. q) & qui restant. Nam hæret in recenti memoria Parisi
in

in Gallia potestas r) quorum tanta erat autoritas, ut de rebus omnibus ad Remp. pertinentibus ad eos referret Rex, penesq; eos esset rerum summa & equalis prope cum Rege dignitas: Suppeditatq; exemplum Poloniae regnum, ubi decernendi licentia usq; in hunc diem strictissime observatur magna cum limitatione regiae Majestatis) quae teste Christina Vladislai II. uxore t) non nisi umbratilis est. Laudamus tamen Romulum, quod senes elegerit, qui consilio superioribus esse poterant. u) secus ac Galliarum Rex Ludovicus XI. qui sartorem pro Feciali, tonsorem pro Legato, Medicum pro Cancellario habuisse dicitur, vv) & quid usitatius, quam quod inter equos Hispanicos asino locus datur, ut ludere solebat Henricus II. Rex Galliae. x)

a) Tacit. Agric. cap. 3. b) Id. Annal. lib. 1. cap. 1. c) Liv. lib. 1. d) 3. de legib. e) Cyriac. Lentul. Arcan. cap. 53. qv. 3. f) Böcler. not. pol. ad Annal. Tac. lib. 1. cap. 2. n. 9. g) Dio Cassius lib. 43. h) Sveton. August. i) Tac. 3. Annal. k) Sveton. Tiber. cap. 3. l) Tertullian. in Apolog. vid. Schildii not. in Sveton. h. l. m) Exod. 18. n) Nubila Jubila Britann. Stuart. ad an. 1653. o) Rodolph. Boreus Comment. rer. in orbe gest. p) Henric. Davila 3. hist. bell. civil. q) Bodin. 3. de rep. r) Vincent. Lupanus lib. 1. s) Polonia defensa contra Barclajum. p. 68. t) Cromer. lib. 6. de reb. Polon. u) Salust. Catilin. vv) Lanf. Consult. pro Hisp. p. m. 255. ex Cominae Comment. lib. 3. x) Bl. de Montluc, Comm. lib. 7.

IX. Satis ad amorem pariendum, injiciat nunc *tacitum* *Timorem* *timorem* animis subditorum, *assumptisq; trecentis armatis ad corpo-* *fovebat* *ris custodiam* proditorum & insidiatorum fraudes eludat. Opus *allectis cor-* *poris custo-* *dibus cap. 4.* *& 15.* sine dubio attentione iis, quibus de Conjuratone non creditur nisi *occisis* a) nec parum stulta erat apud Thebanos principis imago, auribus quidem, sed non oculis praedita. b) Notanter dixi *tacitum* *timorem*, alias enim

quem metuit quisq; perisse cupit c)

Excitandus nimirum & fovendus per media alieno fuce illita; Sic quod Romulus *dignitatis signum* vocabat, revera fuit *fraudum* & *insidiarum obex*, quod nominabat *decus* erat *praesidium*. d) Exemplum manifestum nobis subministrat Poloniae regnum, ubi *privati homines Regum aulas saepe imitantur, & stipati incedunt cetera ingenti*, e) ad ostentationem quidem, ut arbitrantur subditi; re ipsa tamen, ne perfidiae illorum detur locus. Tam enim est inconstans natio, ut Lansius f) eam cum Plinii g) lacu infano

apud Troglodytas comparare non dubitet, qui ter de die fit falsus amarusq; ac deinde dulcis, totiesq; etiam noctu. Julium Cæsarem citius aggredi non poterant conjurati, quam ubi remotæ erant legiones Hispanicæ à corporis custodia. *b)* Cauti vero fiebant hujus periculo Augustus *i)* Tiberius *k)* Caligula *l)* Claudius *m)* Vitellius *n)* Caracalla *o)* Herodes Judæorum Rex *p)* Græci Imperatores *q)* & alii, qui ut essent tutiores Germanicis satellitibus se crediderunt; istorum enim arma & fides ante omnium mortalium celebrabantur. *r)*

a) Domitian. Imp. ex Sveton. cap. ult. *b)* Didac. Sædæra Symb. 46. *c)* Ov. 2. Amor. eleg. 2. *d)* Tacit. morib. Germ. cap. 13. *e)* Polon. defenfa pag. 77. *f)* Orat. 14. contr. Polon. *g)* hist. natur. lib. 31. cap. 2. *h)* Sveton. Cæs. cap. 86. *i)* Id. Aug. cap. 49. *k)* Tacit. 1. Annal. cap. 24. *l)* Sveton cap. 43. 45. 48. *m)* Id. cap. 10. *n)* Dio lib. 67. *o)* Herodian. lib. 4. cap. 4. *p)* Joseph. antiquitat. Judaic. lib. 17. cap. 4. *q)* Saxo Grammat. lib. 12. hist. *r)* Tacit. 13. annal. cap. 54.

*Æmulos
sollebat
vel manifestè
ut fratrem
Remum
cap. 7.*

X. Nunc ordo poscit, ut quid de æmulis statuerit Romulus expendamus: ast horret animus tam cruenti discursus initium facere. *Cedebatur frater Remus, atq; munitio urbis novæ, sanguine fraterno consecrabatur:* Sic fratris titulus, qui apud concordans vinculum charitatis erat *a)* apud discordes incitamentum fiebat irarum. *b)* Excusare hac in parte Romulum conatur Facius *c)* factum fuisse ex pia religionis observantia, quod indignum judicasset transilire muros Diis sacratos. *d)* Verum quis affectus regnandi cupidine est flagrantior? *e)* ubi eodem loco potentia est & concordia? *f)* Audiamus Polynicen apud Senecam *g)*

pro regno velim

Patriam, Parentes, conjugem flammis dare.

Imperia pretio quolibet constant bene.

Quibus verbis asfidet illud Alexandri ad Patrem Herodem *h)* Gravis rei est dissidens inter se regia, & spes principatus sæpè ad nefarios conatus prava ingenia perculit. Atq; ob hanc causam Alexandri M. Successores, fratrum cedes ut Geomeira postulata sumunt, sic concedebant habebantquè commune quoddam postulatum & regnum ad securitatem. *i)* Sicut apud Parthos solenne quoddam erat, parricidas reges haberi. *k)* Pudet fæditate exemplorum, quibus omnis fere scætet historia, paginas istas contaminare. Utinam inspexisset Romulus vultures primum sibi obvios: istæ siquidem aves, animalia viva non attingunt, ab avibus

avibus vero, suo scilicet generi nimium propinquis, penitus abstinent:
l) neq; enim, ut Florus somniat m) *asvete sanguini & praeda sunt.*
Ista cum dicimus, insurgere posset aliquis, quid igitur faciendum
cum fratribus? Verum ne audiamus illud Alexandri n) *audes-*
ne juvenis de tantis rebus loqui, aliorum saltem subjungemus re-
sponsiones. Abyssini perpetuo carceri mancipant, o) *nimis in-*
humaniter. Zevecotius p) *variis deliciis educandos, atq; à re-*
gni curis abstrahendos statuit. Ut enim *altum quiddam est vir-*
tus, excelsum, regale, invictum, infatigabile: Sic voluptas humile, ser-
vile, imbecillum, caducum, cujus statio ac domicilium fornices & popinae
sunt, q) *vide tamen quæ reponat Gvevara.* r) *Bonum consilium*
suppeditat Arnifæus s) *fratres regios colendos & sustentandos*
esse exemplo Josaphatis t) *qui fratribus dabat annuas pensiones*
& civitates ex quibus regiè vivere poterant; vel Cambyfis u)
qui ordinantè Patre Cyro minutiora bona fratribus concedebat,
& Artaxerxis vv) *qui fratri Cyro Satrapiam & classem marinam*
dabat. Abundet tamen quisq; suo sensu.

a) Liv. cap. 5. & 6. b) Tacit. Annal. 1. cap. 55. c) Polit. Livian. ætat. 1. part. 2.
arte 1. d) Plutarch. Rom. cap. 6. e) Tacit. 15. Ann. cap. 7. f) Id. 4. Ann. princ.
g) in Thebaid. act. ult. in fin. h) *Joseph. antiquitat. lib. 16. cap. 8.* i) Plutarch.
in Demetr. fin. k) Justin. lib. 42. cap. 14. l) Plutarch. Rom. cap. 6. VVolfg.
Franz. hist. animal. part. 2. cap. 12. 13. m) lib. 1. cap. 1. med. n) Plutarch. de reg.
Rep. o) Alvarezius p) Not. pol. ad Flor. lib. 1. cap. 1. q) Seneca de vit. Beat.
cap. 7. r) Horolog. Principum lib. 2. cap. 38. s) Doctrin. Polit. lib. 1. cap. 9.
qv. 15. t) 2. Paralip. cap. 21. v. 3. u) Xenoph. lib. 8. Cyrop. vv) Plutarch.
in Artax.

XI. In quem incidimus labyrinthum? hic iterum aliquid vel occultè
humani pàssus est Romulus. Assumerat enim in regni con- ut Titum
sortium, urgente sic necessitate, Titum Tatium Sabinorum regem: Tatium
ast pertæsus paulo post societatis, per cuniculos, mortem à Lau- cap. 14.
rentibus ipsi illatam promovebat. Parum videlicet excusat se-
pulturæ honor eidem exhibitus. a) *Nam nulli jaëlantius moerent,*
quam qui maximè letantur. b) *Atq; sicut consultum non est, à vi-*
ris populo charis manifestum supplicium sumere, exemplo Tibe-
rii Pseudoagrippam in secreta palatii parte interfici jubentis;
c) *ita magna est imprudentia non lugere mortem vel acceptif-*
simam: assumenda cum Nerone tristitia imitamenta: d) *Quid*

juvabat Franciscum Mantuæ ducem mortuo parente cum con-
juge in fenestra oculis subditorum exposita, gesticulari? e] Ma-
gna vero suberat ratio, quod Philippus Hispaniæ Rex, contra mo-
rem Hispanorum, Albani Ducis mortem ne lugubri quidem ve-
ste prosequeretur. f] Is enim homo ob ingenii asperitatem om-
nibus invisus fuerat ac ingratus. Et ut eo redeamus, quo pau-
lum abducti sumus, idem de aliis regni sociis dici potest, quod
superiori thesi de fratribus & propinquis disseruimus: plura au-
tem referre Musæ mansuetiores prohibent, quibus nulla cum san-
gvine res esse solet.

a) Plutarch. cap. 12. b) Tacit. 2. Annal. cap. 77. c) Id. 2. Ann. c. 40. d) Id.
12. Ann. cap. 4. e) Anton Possevin. hist. bell. Montferrat. f) Hieron. Conest.
de Portug. & Castil. conjunct. lib. 3.

Potentiam

Reipublicæ

quæ est fa-

cultas ad

sua conser-

vanda & al-

terius obti-

nenda ac-

quirebat.

Quoad con-

servandi fa-

cultatem

1. loci idonei

electione

cap. 6.

2. Arcis &

Urbis mu-

nitio.

cap. 7.

XII. Tantæ erat molis propriam Dominationem stabili-
re: Respublicæ vero potentiam conciliare, quanto majores re-
quirebat curas. Cum enim Cicerone teste a) potentia sit ad sua
conservanda & alterius obtinenda idonearum rerum facultas quis
eam acquirat nisi

durum genus experientis laborum?

De conservandi facultate prius dicamus, quam sibi Romulus
paravit. Cæci erant ipsius Apollinis Pythii judicio Chalcedonii

b) quod neglecta locorum commoditate pejora elegissent: at-
multo circumspiciat Dux noster, qui ut J. Agricola c) sapientis-

simè opportunitates locorum legit. Sciebat quo sublimiorem locum
eo munitiorem, d) atq; hinc non in plana vel edita superficie, sed

in tractibus montosis sedem figere maluit, loci, ut prætendebat,
ubi erat expositus amore captus; verum ni fallor, vicinis eo mo-

do elusis, firmare volebat potentiam, quod vix concessissent re-
perspecta, ut Romani Carthaginensibus urbem quidem permit-

tebant, sed non in eo loco, ubi timeri possit e)

a) ad Heren. lib. 2. n. 169. b) Tacit. Ann. lib. 12. cap. 63. c) Id. Agr. cap. 27.
d) Plato 6. de legg. e) Flor. lib. 2. cap. 15.

XIII. Loci complementum erat arcis & Urbis munitio.
Sic enim adversus omnem vim, omnesq; hostium incurSIONES

commodè & sine magna suorum jactura se defendere poterat.
Quod Machiavellus a) dicit non propter externos, sed propter sub-

ditos rebelles prodesse arces & præsidia, manifestè ab ipsa experien-
tia

tia refutatur. Progressus superiore seculo longius fuisset Franciscus I. nisi Perpiniani obsidione labefactasset vires, nec in Gallia acquievisset Carolus V. nisi Sandesiriana oppugnatione fuisset debilitatus, *b)* Quantopere autem nostra memoria Friberga Hermundurorum obsessa, Svecorum minuebat victoriam? *c)* Contra Darius nullis copiis resistere poterat Alexandri irruptionibus, quæ res etiam Alexandrum movebat, ut Susam & Babylonem præsiidiis firmaret, Militibusq; Macedonicis custodienda traderet. *d)* Quæ Maetiavellus contra propugnaculorum usum disputat, vide apud Schönbornerum *e)* qui tamen objectiones solvere non audeat nisi adductis contrariæ partis rationibus. Legat etiam qui velit, Consultationem, quam Comes Savorgnanus cum Tullio Petrozanno de Casalensi arce habuit, referente Forstnerio *f)* ex A. Possevino *g)*

a) tr. de princ. cap. 20. *b)* Forstn. p. 176. *c)* Brachel. lib. 6. pag. 58. *d)* Curt. lib. 5. *e)* Politic. lib. 4. cap. 13. *f)* ad Tacit. Ann. lib. 11. cap. 19. *g)* lib. 8. hist. Mantuan.

XIV. *Firmissimum oppidis ornamentum civium est numerus,* *3. Multitudine hominum cap. 8.*
a) nec mœnia sed viri civitas. *b)* Quo plures enim in fasciculum coeunt sagittæ eo minus frangi possunt. *c)* Ergo ante omnia, *de* *multitudine augenda* merito cogitabat Romulus noster, quæ quidem si in immensum accrescat, omnibus rebusp. non prodest, isti tamen apprimè fuit utilis. Quidam enim suis finibus contenti, istud Paridis *d)*

quas habeo Dii tueantur opes

inter præcipua vota ponere solent, ut olim Athenienses, hodie Veneti & Helvetii *e)* quos nimia multitudo obruit, mediocris conservat, & hæc est *ea paucitas quæ Longobardos nobilitabat,* *f)* Quidam autem *alia aliâq; appetunt loca,* & Caroli V. *PLVS ULTRA,* constanter actionibus exprimendum censent, id quod sine hominibus fieri poterit, cum Athenienses vento Aquilone Lemnum proficiscentur. Incolarum inopia nostro tempore præcæteris celebris est Hispania, & licet Philippus III. anno 1623. Lupanaria, conjugiorum ista & liberorum procreandorum impedimenta, extirpaverit, multaq; privilegia & varias immunitates concesserit festinantibus conjugium: *g)* damnum tamen Mauro-rum & Judæorum proscriptione illatum, ubi supra nongenta
 millia

millia capitum excefferunt, reparare nondum potuit. *b)* Sic Indis melior tyrannidis Hispanicæ vindicta vix restabat, quam si à conjugis abstinendo loca cultissima ad solitudinem redigerent. Idem vulnus Bohemiæ, Silesiæ aliisque provinciis infixit inquisitio Pontificia, cui tamen Misnia, Lusatia & Vogtlandia in acceptis referant, quod expulsis ibi orthodoxis, multitudinem subditorum bello diuturno exhaustam, reficere ac resarcire potuerint.

a) Plin. lib. 7. epist. 31. *b)* Nicias ap. Thucyd. lib. 7. *c)* Scilurus ap. Plutarch. apophth. *d)* Ovid. epist. Heroid. 16. *e)* Bodin. lib. 4. de rep. cap. 1. *f)* Tacit. mor. Germ. cap. 41. *g)* Joh. de Laet. Hisp. p. 101 seq. *h)* Lanf. Consult. Orat. 6. contr. Hisp. p. m. 433.

*aucta Viris
per asylum
cap. 8.*

XV. Colligendi igitur viri, nec relinqvendæ mulieres; sine his enim *etatem duratura magnitudo erat*; sine illis *robur deerat*. Hinc major virorum cura *aperto asylo*. Vetus asylosum est mos, & à Cadmo Thebis, à Theseo vero Athenis institutus, *a)* ut paucitati civium consuleretur, quemadmodum etiam Romulus ad eundem finem respexit. Ast repleta populis republica, cum in honorem Deorum remanerent asylosum sacra, refugium datum fuit innocentiae, quod non solum apud profanos, sed & apud Judæos, ipsius Dei jussu obtinuit. *b)* Successu autem temporis optima hæc consuetudo in pessimam degeneravit peccandi impudentiam. Tiberii enim tempore, *crescebat Græcas per urbes licentia atq; impunitas asyla statuendi: Complebantur templa pessimis servitorum: eodem subsidio obæati adversum creditores: suspensiq; capitalium criminum receptabantur*. Quare modum asylosum ex antiquitatis inspectione per senatum ponere jussit Tiberius *c)* Hodie asylosum privilegia referunt sanctuaria Pontificiorum *d)* & impunitas concessa apud Hispanos maleficis, si velint in Indiam aliaq; loca militatum abire. *e)*

a) Plutarch. in Theseo *b)* Num. 35. 6. Deuter. 4. 41. Josue 20. 2. *c)* Tacit. Annal. lib. 3. cap. 60. *d)* Arnica. Relect. Polit. lib. 1. cap. 3. sect. 8. *e)* Zevcot. in Flor. h. 1.

*Mulieribus
per raptum
cap. 9.*

XVI. Repleta erat viris Civitas, sed unde mulieres? asylosum ipsis aperiri non poterat, ut false Romanos exteri irridebant, aliud igitur arripiendum consilium: Petebantur per Legatos exterarum connubia, quæ *cum injuste negarentur, justè auferebantur*. *a)* Indignum enim videbatur id prohibere velle homini, ad quod
ipsum

ipsius naturæ stimulis duceretur. Sic nemo est qui improbet factum Israelitarum, quod Beniamitarum conjugia raptis Silohitarum filiabus auxerint: b) negaverant nimirum postulas, quare non datas auferbant. Ea autem omnia ad Mulierum penuriam restringenda sunt, ne aliquis exinde vagæ libidinis haurire possit patrocinium, id quod fecisse Caligulam testis est Svetonius. c) qui rapta aliena uxore publicè edicebat, *matrimonium sibi repertum exemplo Romuli*. Nec est quod audiamus Canulejum d) nihil petentem nisi conjugium, a se tale quo plebei cum senatoribus miscerentur. Nam præter necessitatem hybridæ e) & *Gasmulicæ* genus f) ne introducantur in Rempublicam.

a) Augustin. de Civ. Dei lib. II. cap. 17. b) 1. Sam. II. c) Calig. cap. 22. d) Liv. lib. 4. e) Sveton. August. cap. 19. f) Beinigg. Quæst. Miscellan. qv. 12. fin.

XVII. Coalescere nunc debebat in unum corpus multitudo, sed non nisi per leges. *Urbs enim velut lyra musui absq; consonantia*, a) unde autem melior consonantia, quam per leges, quibus continetur & in certas regulas conscripta virtus & ratio vivendi. b) Cogere poterat Romulus populum imperio; sed hoc non utendum, ubi legibus agi potest. c) Imperium videlicet ideo invisum, quia vis est: Lex autem ideo grata, quia à ratione proficiscitur quam quisq; amat. d) Hinc Cicero e) legem describit, quod sit ratio summa inserta à natura, quæ jubet ea quæ facienda sint, prohibetq; contraria. Poterat etiam bonis moribus assiduaq; Virtutis consuetudine homines ad obsequium allicere, quemadmodum apud Germanos veteres boni mores plus valebant, quam bonæ leges, f) & apud Scythas, quorum Justitia ingenis non legibus colebatur, plus proficiebat vitiorum ignoratio, quam in Græcis virtutum cognitio: g) Verum quis nescit hominum ingenia, vident meliora probantq;, deteriora sequuntur, h) ergo quo magis boni mores ad malitiam declinare possunt, eò minus leges sanctè custoditæ, corruere possunt, id quod Spartana Respublica Lycurgi legibus per aliquot secula munita satis testatur. i) Leges profecto sole sunt, quæ neq; gratia neq; odio locum relinquunt k) & cum omnibus una eademq; voce loquuntur l) justum etiam inter divites & pauperes tenent æquilibrium, ut illi incolumes habeant suas fortunas, his nulla injuria inferatur, omnes in universum bono publico contineantur. m) Hoc tamen certum, pauciores Romulum promulgasse leges, quam successores, ita quidē ut Tacitus n) dicere non dubitaverit, illum ut libitum imperitasse,

Ordinata
per leges, cap. 8

C

non

non quod nullas leges tulerit: id enim satis refutat Plutarchus o) & alii quos citat Forstnerus: p) sed quod comparatus ad Numam legislatorem, præ nimia paucitate legum, ut libitum imperitasse visus fuerit. Atque hujus rei manifestum nobis in promptu est argumentum. Nam primo leges simplices sunt: ast crescente hominum calliditate pariterque malignitate crescere etiam debet astutia legum, quarum vetus simplicitas dolosa interpretatione facile posset everti: q) Et sicut ante morbos necesse est cognitos esse, quam remedia eorum: sic cupiditates prius natae sunt quam leges: r) Quare in corruptissima republica plurimae leges f) quia plurimae ibi se exerunt cupiditates.

a) Gruter. not. pol. ad Liv. h. l. b) Reinking. Regim. Sec. lib. 2. claus. 2. cap. 1. num. 10. c) Tacit. Annal. lib. 3. cap. 69. d) Boxhorn. Polit. lib. 1. cap. 9. not. ad n. 15. e) lib. 1. de legibus n. 18. f) Tacit. Germ. cap. 19 n. 6. g) Justin. lib. 2. cap. 2. n. 14. h) Ovid. i) Justin. lib. 3. cap. 2. n. 4. k) Cujac. ad Novell. 22. in pr. l) Cicero 3. off. m) Fac Pol. Liv. part. 1. art. 7. n) 3. Annal. cap. 26. o) Rom. cap. 11. p) Not. pol. ad Tac. Ann. 3 cap. 26. q) Boxh. d. l. n. 10. r) Liv. lib. 34. cap. 4. s) Tacit. d. l. cap. 27.

2. per Curias cap. 13.

XVIII. Jam tempus erat introducendi ordinem iis, qui per leges concordiam aiebant; hinc Curias instituebat Romulus. Quid fuerint Curiae dubitatur: nomen esse Sabinum cum Scaligero sentit Facius. a) Plebem enim Quirites dixit: se Quirinum, Senatum Curiam, omnes eodem vocabulo, vario flexu. Quid autem res ipsa significet & quid per Curias intelligat Livius, fatetur se ignorare Joachimus Perionius: b) Budæus tamen c) assimilat eosdem patriciis apud nos, siquidem ipse Dion perhibet d) curiam fuisse decimam partem tribus, certis sacris, certoque loco alligatam. Fecerunt idem Athenienses, qui cives in tribus divisos, vicissim distinxerunt in partes tricenas, quas γένν s. gentes dixerunt. e) Atque inde est quod leges aliquas curiatis s. curiatim latis deprehendimus. Singulae enim curiae in septa congregabantur, ibique ad probandas vel improbandas leges, quae ferendae fuissent sententiae, rogabantur. f) Observavit hunc morem ipse Augustus, qui in foro Tiberium adoptavit lege curiata. g) Praecipuus vero hujus ordinis finis erat, ne praenimia multitudine civitas se ipsam in factiones scinderet & turbulenta excitaret factiones. h) Nam praevirens ista Romulus praevire maluit quam praeviri. Eodem fere modo Venetos per tot secula constantem atque civilium conjurationum exper-

tem

tem tenuisse Rempublicam, quod interfluentibus aquis divisi sint
cives, cum Joh. Botero arbitratur Forstnerus. 1)

a) Polit. Liv. lib. 1. art. 17. b) lib. 2 de Mag. Rom. c) in post annotat. 11.
d) lib. 2. e) Sigon. lib. 1. de rep. Athen. cap. 2. f) Oldendorp. in restaur. polit.
lib. 2. §. 2. g) Sveton. Aug. cap. 65. h) Facius l. cit. i) Not. pol. ad lib. 4.
Ann. cap. 2.

XIX. Quoniam autem, ut supra monitum fuit, potentiam *II. Quoad*
is habet, qui non solum sua conservare, sed etiam alia obtinere, *obtinendi*
potest, necesse est ut, si Romulo ejusque Reipublicæ potentiam tri- *facultatem.*
buere velimus, posterius etiam membrum in ipso exhibeamus.
Ubi primo loco quaeritur, *an Princeps jure alia invadere sibi, ven-*
dicare possit? Respondetur, si fiat ob regnandi desiderium, atque
imperii saltem proferendi causa, injustissimum esse bellum. Sunt
enim quidam homines adeo feri & feroces, ut cum Tiridate Ar-
meniae Rege, *id æquius, quod validius æstiment, & inde, sua retinere*
privata domus: de alienis certare regiam laudem esse dicant. a) Non
possumus, quin hoc loco ascribamus barbaram Solimanni Tur-
cici orationem, quam capta Rhodo insula & exturbatis inde Hi-
erosolymitanis equitibus ad Philippum Villerium, Magnum illius
ordinis Magistrum habitam ex Jacobo Fontano b) recenset Ber-
neggerus: c) *Quod nullo odio, inquit tyrannus, tibi bellum intulerim,*
sed sola dominandi libidine, vel hinc potes colligere, quod te tuosque in vio-
latis corporibus, intactis fortunis hinc dimittam. Haud enim bella
gero, ut divitias & opes comparem; sed ad gloriam, famam, immorta-
litatem, protelationem imperii tendo. Est enim Regis, sanguine Re-
gum orti proprium, rapere atque invadere aliena, non quidem avaritia, sed
gloriosa cupidine dominandi: cui cum obstat vicinus, armis & vi eum
tollere satis habeo. O hominem Alexandro M. felici terrarum præ-
doni d) simillimum; qui cum audiret ab Anaxarcho, plures esse
mundos, effusis lacrymis conquirebatur, *se hunc mundum non-*
dum subegisse e) Talibus autem ingeniis reponimus illud Augu-
stini f) *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus & impla-*
cabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ sunt similia,
hec erunt, quæ in bellis jure culpantur. Videmus quid nobis hic
objici possit; Maximam principum curam imperii proferendi
esse debere, nec incommode Romanum Imperatorem vocari
semper Augustum, quod teneatur de amplificando Imperio cogi-



tationes nunquam deponere. g) Ad prius membrum respondet Boethornius, aliud esse belli *causam justam*, aliud *usum rectum*, jam quæri de *causa* h) ad posterius differit Berneggerus: i) Imperatores vocari Augustos, non quod debeant rapere aliena, sed recuperare amissa & tueri presentia: additq; Augusti nomen non ab augendo sed ab *augurio* derivari, juxta illud Ennii k)

Augusto augurio postquam incluta condita Roma est

Ista dum ulterius consideramus, incidit distinctio inter causas bellorum *occultas & manifestas* l) seu, ut distingvit Polybius m) inter *causas occultas* (titulum dixit Livius, pretextum Syetonius n) & *certas causas*; ut ut quoad occulta comparatus sit Principis animus, sufficit si justa causa suum desiderium tegere possit. Romani profecto Imperii sui initium faciebant, non tam à justitia, quam à violentia, o) unde falsa Carneadis oratio: p) Romanos si justis esse velint, debere ad causas redire, & in necessitate ac miseria jacere: nihilominus tamen maximopere jactabant, se omnia bella justè suscepisse atq; propterea in periculis Deos habuisse propitios. q) Perpendamus jam quomodo Romulus excusari possit. Nam de occulto affectu non judicabimus. Invadebant eum vicinae gentes, quæ novam remp. armis ad interitum læssere conabantur: Licebat igitur vim vi repellere. r) Hoc enim & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacumq; ope possent à corpore, à capite, à vita propulsarent. s) Dicis, aut justum ob raptas filias bellum movebant vicini: Possimus respondere, justam quoq; esse defensionem, cum justè quis bello infestetur t) cum absolutum censeatur pro defensione rei suæ arma capere posse: u) sed quid opus? quam justam habuerint causam ostendimus th. XVI. ut taceamus de Legatis, quos minus honorificè exceperant. vv) Et quoniam hæc ita se habent, non tantum se defendere, sed hostes quoq; offendere jure poterat. Nam quis acquiescat in simplici eorum propulsatione? Profecto qui semel nocuit, creditur adhuc nociturus x) atterenda igitur ejus vires, ne possit etiam cum velit nocere. y) Nec obstat, quod pœna excedat injuriæ proportionem. Si enim ipse Deus furtum dupliciter, tripliciter, imo quadrupliciter jussit restituere z) cur in hoc casu utriusque partis damnum lineis parallelis metiri velimus?

a) Tacit.

a) Tacit. 15. Ann. cap. 1. b) lib. 2. de bell. Rhod. c) Quæst. Miscell. 2. d) Lu-
 can. lib. 10. v. 21. e) Valer. Max. lib. 8. cap. 14. f) Grotius. Jur. Bell. & Pac. lib.
 2. cap. 22. §. 17. g) VVesenbecius not. ad Rubric. Institut. h) Polit. lib. 1. cap.
 12. §. 8. not. i) quæst. Misc. 187. k) ap. Sveton. Aug. cap. 7. vid. not. Schildii ad
 Svet. l) Schönborn. Polit. lib. 6. cap. 3. seqq. m) Grotius l. c. n) Cas. cap. 30.
 o) VVaremund de Erenberg de fæder. lib. 1. cap. 1. n. 36. p) Lactant. 1. 5. cap. 17.
 q) Halicarnass lib. 2. r) l. 24. §. 4. ff. ad leg. Aquil. s) Cicero Orat. 38 n. 30. t)
 Alberic. Gentil. jur. bell. lib. 1. cap. 13. u) Matth. Colerus de process. execut.
 part. 1. cap. 5. n. 101. vv) vid. Grotium. lib. 2. cap. 18. n. 11. x) Boxh. lib. 5. cap.
 12. §. 10. y) Forstn. ad Tac. Ann. 2. p. m. 223. z) Exod. 22.

XX. Hic autem Romulus non solum vincere poterat;
 verum etiam Victoriâ maxima cum laude administrabat. Vin-
 cendi gloriam quod attinet, vi opprimebat *Ceninnenses, Antemna-*
tes, Crustuminos &c. imo consilio addebat dolum. *Par prorsus inex-*
pugnabile! cui simul Leo & Vulpes imminent id obterunt. a) Fas
 nobis sit paulisper expatiari, & an stratagemata in bello licita sint
 disputare. Negaverunt multi. Darius fiducia virum, nihil a-
 stu agere affirmabat suis; occulta consilia victoriæ furtivæ convenire:
 b) nec alio navigat flumine Saporis ad Romanos oratio: c) illud
 apud nos nunquam acceptum fuit, quod asseritis vos Romani, exul-
 tantes, nullo discrimine Virtutis ac doli, prosperos omnes laudari bello-
 rum eventus. Darii verbis tanquam Echo affonat illud Alexan-
 dri M; d) Larrunculorum & furum istam esse solertiam, quorum vo-
 tum unicum sit fallere. In horum vestigia posuisse pedem vi-
 dentur Achæi, qui ne hostes quidem per fraudem volebant vincere;
 e) & Helvetii, qui à patribus & majoribus didicerant, ut magis virtu-
 te quam dolo contenderent, atq; insidiis niterentur: f) Verum quin
 nos probemus ista belli furta g) nihil impedit. Hostis enim est in
 quem ea usurpamus, id est, quem perdere nos fasq; sit: & quid refert
 quo modo? d) Accedit ad hoc quod artes ejusmodi maximè ea parte
 perficiuntur, qua homines sumus. Nam corporis quidem servitium
 nobis cum belluis commune est: i) quare placet, eam dcmum esse ve-
 ram Victoriâ, quomodo nullum præter hominem animal vincere pot-
 est: k) censemusq; minoris quæ vi fiunt, quam quæ occasione ac dolo. l)
 Et quid multis? præcipiebat ipse Deus Opt. Max. Josuæ, ut Aita-
 nos incolas insidiis circumveniret, m) ad quem locum scitè Au-
 gustinus n) cum justum bellum suscipitur, ut apertè pugnet quis, aut
 ex insidiis, nihil ad Justitiâ interest. Cum autem ista dicimus, in-

vel vincendo
 vel victoriâ
 benè admi-
 nistrando.
 Vincebat
 autem
 1. per vim
 2. per dolum



tellecta nolumus absq; limitatione. Quod enim Lipsius o) de fraudibus in genere asserit. *Quasdam haud longe à virtute abire, malitia rore leviter asperso: Quasdam ab eadem virtute flectere longius, & ad vitij confinia venire: Quasdam deniq; non à virtute solum sed legibus etiam recedere, malitia iam robusta ac perfecta;* Id quoq; de stratagematibus affirmare non dubitamus, & ut primum genus *suadendum, alterum tolerandum, ita ultimum damnandum & execrandum putamus.* Et hinc tamdiu jure gentium consonas vocamus istas artes, quamdiu hostis non de dolo adversarij & rupta fide, sed de sua imprudentia & credulitate conqueri debet. p) Absit igitur perjurii crimen, quo Lyfander contra Thasios q) Mediolanenses contra Fridericum Barbarossam utebantur, dicentes, *se juravisse quidem, sed juramentum servaturos non promississe* r) digni quos everteret elusus Imperator! s) Absit pacis sanctissimè factæ repentina & malitiosa ruptio, cujus pœnam summo cum Christiani nominis dedecore à Murathe II. Vladislaus V. Poloniae Rex clade apud Varnam accepta insigniter luebat. t) Absit gladius quæ Bessus stringebat adversus Darium: u) Venenum quod ministri Stephani Regis ab Hunnis corrupti in Domini necem parabant: w) Valeat simulata amicitia qua Mithridates Datamem oppresfit: x) Exulet prorsus exulceratissima Adgandestri ineqvitia, qui à Romanis venenum petebat, quo tolleret Arminium y) Deleatur infamis victoria Aquilii z) *qui contra fas Deum, moresq; majorum medicaminibus impuris in id tempus sacrosancta Romana arma violaverat.* In Asia enim fontibus miscuerat venenum.

a) Gruter. not. pol. ad Liv h.l. b) Justin. lib. 11. cap. 11. c) Ammian. Marcell. lib. 17. cap. 10. d) Curtius lib. 4. cap. 80. e) Polyb. lib. 13. cap. 1. f) Cæsar. lib. 1. Gall. cap. 13. g) Thucyd. lib. 5. cap. 2. n. 5. h) Lipsius Civ. Doctr. lib. 5. cap. 17. n. 11. i) Bernegg. Quæst. Misc. qv. 200. k) Forstn. ad 4. Ann. p. 388. l) Polyb. lib. 9. m) Josuæ 8. n) Quæst. super Jos. qv. 10. tom. 4. fol. 288. o) Doctr. Civil. lib. 4. cap. 14. p) Forst. 4. Ann. p. 387. q) Polyæn. 1. strateg. r) Lehmann. Chron. Spir. lib. 5. cap. 57. s) Jov. in Frid. lib. 2. elog. t) Cuspinian in Amurath. II. Ortel. Chron. Ung. ad ann. 1444. u) Justin. lib. 12. vv) Joh. Cinnam. de reb. gest. Joh. & Man. Comn. lib. 4. p. 260. x) Cron. Nep. Datam. fin. y) Tacit. Annal. lib. 2. cap. 88. Lentul. Aul. Tiber. ad h.l. z) Flor. lib. 2. cap. 20.

Dolus exercetur
1. dissimulando
cap. 9.

XXI. Probenitur contra & commendentur à Romulo ne-
xæ atq; excogitatae insidiæ! illæ autem consistebant in actu vel
negativo vel positivo. a) Negativus est, cum negatur id, quod tamen
occulte

occultè ponitur vocaturq; dissimulatio: Positivus cum ponitur, quod re ipsa negandum est diciturq; simulatio. Dissimulabat injuriam legatis connubia petentibus illatam, debitumq; tempus vindictæ expectabat. Non enim statim expedit concutere felicem statum, b) & belluarum ritu in perniciem non necessariam ruere: c) Distingvendum prius an bellum quod juris est sit etiam prudentiæ, d) expendendum, an intersit reip. jus suum persequi e) proponendæ animo non modo propriæ vires, sed etiam vis fortune, & Mars bello communis. f) Ignavo cuius licet bellum incipere: g) verum caveant sibi ne præveniendæ rerum occasiones se ipsos perdant. h) Galli festinatis casibus mirificè delectantur: i) sæpius tamen lenta Hispanorum virtus eorum præcipitantiam fecit irritam. k) Quare non contemnendum Gvevaræ monitum: l) Si casus ferat ut Princeps subitaneum petat consilium, non subitaneum ei dandum responsum. Excipimus hoc loco casus maxime subitos, ubi res moram vix patitur, ne interim, dum Romæ consulitur, occupetur Sanguinum, m) vel dum Consul Senatum in eadem Bellona evocat, Hannibal sit ad portas: n) Potuisset Senatus occiso Caligula amissam libertatem recuperare nisi consultationum obstitisset tarditas, o) sic scitum est Caroli V. proverbium cum multitudine Comitiorum parum proficeret: *Dieta Dietam parit, & partus suffocat Matrem.* p) Est etiam tempus ubi nec consilii nec auxilii locus datur, ut cum Alexander Garamantes obrueret, miseri homines, maximo terrore perculsi, neq; fugæ se dare, neq; arma arripere, neq; de resistendo cogitare volebant. q)

a) Grotius Jur. B. & P. lib. 3. cap. 1. n. 7, 8. b) Senec. Oedip. act. 4. vers. 70. c) Forstn. 2. Annal. p. 172. d) Boxh. Pol. lib. 1. cap. 12. §. 1. e) Ibid. §. 16. f) Liv. lib. 30. cap. 30. g) Salust. Jugurth. cap. 83. h) Boxhorn. loc. cit. i) Gramond. hist. lib. 1. p. 28. k) Guicciardin. lib. 5. Joh. Mariana de reb. Hisp. lib. 27. & 28. Bembus hist. Venet. lib. 12. Mich. Coccin. de bell. Ital. l) Horolog Princ. lib. 3. cap. 14. m) Vupell. de pace qv. 74. n. 2. n) Arnif. de Rep. lib. 2. cap. 7. sect. 2 n. 34. o) Sveton. in Claud. cap. 10. p) David. Chytraus Saxon. lib. 19. q) L. Boscus. 1. 3. de antiquitatib. Græciæ.

XXII. Simulationem exercebat Romulus, cum fugiendo ^{2 simulando}

Fidenates eo alliceret, ubi tecti virgultis equites terga fugantiū ^{cap. 14.} tutius possent ferire: idem consilium, quod Numidæ postea a) & Hannibal b) in perniciem Romanorum repetierunt. Fugæ quia hic fit mentio, sciendum, eam vel esse ex formidine, vel ex neces-

necessitate, vel ex consilio. c) Prius nihil turpius: siquidem ignavia extremum malum est, ipsi morti aequiparandum, a) atq; ob hanc causam J. Caesar cum incepturus esset praelium dimittebat equos, & imprimis suum, quo major permanendi necessitas imponderetur, auxilio fugae erepto. e) Alteram quod spectat, eam sumebat Romulus in ancipiti cum Sabinis pugna, ubi nolens volens auferebatur in praecipuum, torrente veluti subsequendum, f) nam cur solus stetit? ne Hercules quidem adversus duos, nec imprudens Fulvii est excusatio: g) Quid solus restans Reipublicae prodesse potuisset, nisi si mors mea remedio publicis cladibus esse potuisset: Imo iidem Romani gratias agebant Varroni, quod per fugam servavisset cives: h) & cum in aciem educturi essent copias, locum receptui idoneum, si pel-lerentur prospexerunt. i) Rarum enim est, & ante avro Livii ipsi Cinnamo incredibile, k) quod Manuel Imperator, totis Persarum phalangibus obsistere, eorumq; impetum solus sustinere poterat. Ul-timum fugae genus hoc loco intendimus, quia inducitur hostis spe victoriae, ut vincatur. l) Atq; hoc est saepe laudatum & feliciter ex-ercitum stratagematis genus, quod sapienti & prudenti non so-lum, sed & pio ac christiano Duci imprimis convenit. Inde tam saepe usurpatum a Germanis veteribus praecipue Chattis m) Thessalis, n) Aetolis, o) Parthis, p) Scythis q) Israëlitis quoq; r) & aliis.

a) Salust. Jugurth. cap. 49. b) Flor. lib. 2. cap. 6. c) Bernegg. Quaest. Misc. qv. 28. d) Plato in Alcibiad. cap. 1. e) Sveton. cap. 60. Frontin. lib. 2. stratagem. cap. 8. f) Gruter not. pol. h. l. g) Liv. lib. 26. cap. 3. h) Id. lib. 22. fin. i) Len-tul. Aul. Tiber. ad 2. Annal. n. 24. k) lib. 4. p. 109. l) Tacit. 2. Annal. cap. 52. m) Id. 1. Annal. cap. 56. n) Curtius lib. 3. cap. 11. o) Thucyd. lib. 3. p) Tac. 6. Annal. cap. 35. q) Plato in Lachete. r) Josuae 8. Judic. 20.

Victoriam
bene admi-
nistrabat vel
securitatis
causa tantum,
vel etiam uti-
litatis ergo.

XXIII. Quoniam autem multi vincere quidem sciunt, sed
uti Victoria nesciunt, a) laudandus magnopere est Romulus, quod
in Victoria prudentissimè undiq; se gesserit. Quamquam enim
Sapientes pacis causa bellum gerere, laborem spe otij sustentare de-
bent, b) & propter solam pacem exercendum est bellum: c) Tamen
sicut libentius suscipitur labor pro desiderio voluptatis, quam pro a-
more Virtutis: adita ad fortitudinem magis spes praedae & utilitatis
accendit, quam pacis desiderium. e) Et hoc est, quod Cicero ju-
bet f) Quirites & belli utilitatem, & pacis dignitatem debere sustinere,
quod

quod quam laudabiliter expresserit Romulus, ex eo patet, ubi vel *Securitatem*, vel etiam ubi licuit, *ulteriore utilitatem* sibi acquiſivit.

a) Tac. 6. Ann. cap. 35. b) Saluſt. de rep. ordin. c) Auguſt. ep. r. ad Bonif. d) Leo ſerm. 11. de quadragel. e) Tacit. hiſt. 4. cap. 26. f) pro L. Manil. Orat. 13. n. 14.

XXIV. Securitatem pariebat *Regis Ceninnenſium obtruncatio*. Nam certum eſt quod exclamat Gruterus: a) *Hui! quantum inſtar eſt in Duce exercitus! exutus milite, terris, pecunia, omnibus: ſi tamen adhuc ſpirat, tantum abeſt, ut victus ſit; etiam poteſt vincere. Facile enim invenit exercitum miſer Imperator b) letus malis & damnis ditior redditus. c) Id autem Romulus non committit in occulto, ut Mutius Scævola Porſenæ ſtruens inſidias d) vel Pompilius e) qui percufforibus domeſticis exciſo Viriato, *Hiſpaniæ Remulo*, hanc hoſti gloriam dedit, ut videretur aliter vinci non poſſe: Sed in duello fortiffimè dimicans Victor evaſit. Forſan cum Eumene credere non poterat, *quoniam ducum ſic velle vincere, ut in ſe exemplum peſſimum ſtatueret. f) Neq; vero in uno Romulo id apparuit. Committebantur poſtero tempore Horatii & Curiatii Albanæ & Romanæ reip. fata, g) multiq; id ſecuti ſunt, quos vide apud Camerarium, h) Sapientiores iis, qui puellarum amore irretiti, amoris fortunam armis permittunt, i) Obſerva tamen ducem temerè ſe in duello ſiſtere non debere, ne ſi occubuerit, exercitus animum deſpondeat: k) remigum hæc eſt opera, non Gubernatoris l) Hinc Carolus V. à Franciſco I. provocatus comparere noluit, m) & Carolus Siciliæ Rex cum Petro Arragonio pugnaturus, parcendi ſanguinis Chriſtiani ergo, centenos contra centenos mittere decreverat. n) Et ut redcamus ad Duces belli, merito Iphicrates eoſdem capiti comparat, o) quod avulſo capite mori cogantur animalia, dempto duce animam agat exercitus. Inde Philopomenes Machanidam p) Labienus Ingvio merum q) Lacedæmonii Epaminondam r) in pugna notare, illorumq; obitu plenum victoriæ numerum abſolvere voluerunt.**

a) Diſcurſ. ad Cornel. Tac. cap. 10. b) Flor. lib. 3. cap. 21. c) Trog. lib. 27. d) Flor. lib. 1. cap. 10. e) Id. lib. 2. cap. 17. vid. Joh. Freinſh. not. h. l. f) Juſtin. lib. 14. g) Val. Max. lib. 6. cap. 30. h) Hor. Succifiv. cent. 2. cap. 19. ſeqq. i) Gregoras lib. 7. cap. 12. Cranzius lib. 2. Daniæ cap. 4. & 22. Olaus lib. 4. cap. 5. Saxo lib. 6. & 7. k) Roder. Caſtellan. lib. 7. cap. 29. l) Oneſander. cap. 33. m) Thuan.

Securita-
tem dabat
I. Regis ad-
verſarij ob-
truncatio,
cap. 10.

m) Thuan. part. 1. lib. 1. Sleidan. lib. 6. n) Calvis. Chronol. ad an. 1283. o) Polyæn. lib. 3. p) Polyb. lib. 11. q) Cæs. lib. 5. Gall. r) Corn. Nepos in vit. XXV. Occiso Rege, prudenter ad occupandam Urbem Cenninensium se movebat Romulus, nullumq; ut Julius Cæsar spatium dabat perterritis a) in omnia præceps

2. Urbis occupatio cap 10.

Nil actum credens cum quid superesset agendum b)

Hæc enim munimenta si hostibus eripias, quomodo resistere, porro audeant? Bellum Illyricum tanta celeritate non fuisset peractum, nisi Scodram caput gentis delevissent Romani: c) Sic nostro tempore Ferdinandus II. devicto Friderico Palatino, sapienter maturabat Urbis Præagæ recuperationem, quam facile tota sequebatur Böhemia. d) Tentabat idem nupero bello Danico Svecorum Rex, acerba & funesta Hafniæ obsidione, sed quemadmodum tardè nimis, ita sine successu. e) Hannibal victoricia arma per Italiam gerebat, quod autem Roma neglecta, victoria frui quam uti malebat, Romanis spatium recolligendarum viriû dabat, se ipsum in discrimen restituebat, f) quod exemplum simili damno & fortuna imitatus est Andegavenis dux, frater Caroli V. regis Galliarum, qui ubi debebat urbem Neapolim invadere, vastando Calabriam & Apuliam, nullam vero sedem sibi figendo, imprudentem brevi victoriam turpiori fuga permutabat. g) Est profecto Metropolis velut Cor unde reliqua membra vires accipiunt, h) & hæc respiciens Tiberius, eo deduci non potuit, ut desereret Romam i) omitteretq; urbem, unde in omnia regimen.

a) Sveton. Cæs. cap. 60. b) Lucan. lib. 2. c) Flor. lib. 2. cap. 13. d) Brachel. hist. lib. 1. p. 32. Forstn. ad 2. Annal. p. 171. e) Thulden. hist. lib. 9. f) Flor. lib. 2. cap. 6. g) Frossard. hist. lib. 2. h) Forstn. ad 1. Annal. p. 78. i) Tac. Ann. 3. cap. 47. &c.

3. Induciarum pactio cap. 15.

XXVI. Aliter cum Vejentibus agebat Rex noster, datis in centum annos induciis. Nam licet plena non sit Victoria, ubi hostis armatus est: a) Novum tamen triumphi argumentum, non vincere b) Subigendæ prius erant respUBLICÆ minores, quæ adhærere Vejentibus potuissent; illa interim ab armorum cultu abstrahenda, ut Polyphemo Ulysses, postrema Victoribus mensa futura. Exercuit idem consilium in duodecennialibus induciis cum Belgis Rex Hispaniæ. ubi non solum concordēs dissipare, c) verum etiam durante quiete, Protestantes in Germania, Belgis auxilia laturos,

turos opprimere conabatur. *d)* Callidissimi hoc in negotio sunt Turcæ, *e)* quando cum Principibus, qui magnæ sunt potentia, nec primo ictu statim debellari possunt, post primum impetum bellum abrumpunt. Quod si observassent Genueses, quam nunc tenerent potentiam? Venetis enim devictis, cum pacem anxie quæsitam negarent, illis ex desperatione pugnantibus, cedere coacti sunt: *f)* Celebris hic est Atheniensium pietas. Spartanis enim accepta apud Py-lum clade *g)* missa epistola inducias petentibus *h)* respondebant, *non esse morem Atheniensium, ut inducias ad bellum redituri faciant: se enim legem habere, ut alacriter & bellum accipiant asperum, & pacem concedant perpetuam. Pacem fictam & fraudulentam bello aperto periculosiorem esse.* Alia quoque Romulum movere poterat ratio: considerabat nimirum Vejorum potentiam, quam postero tempore decennalis obsidio, ac per cuniculos tandem promota occupatio satis declaravit, *i)* ad illam opprimendam tum temporis diuturno opus fuisset bello: Sed quid utilitatis sperandum, si bellum in multa lustra protradatur, nisi quod hostes necessitate adducti bellandi artes accuratius discere & exercere incipiant. Sic Corinthii prius bellorum navalium rationem non cognoscebant, quam ubi cum Atheniensibus confererent manus. *k)* ipsi Athenienses à Persis *l)* Ægyptii à Christianis Hierosolymitanis *m)* veteres Germani à Romanis *n)* Itali valde segnes *o)* à Gallis irruentibus *p)* excitati & in pugnando edocti sunt. Quot discipulos Romæ invenerant Hannibalis stratagemata; notus est Marius, secutus in prælio cum Theutobodo *artem Cannarum,* *q)* & Flaminius, exemplo *effractarum Alpium* per-rumpens firmissima claustra Macedoniae *r)*

a Petrarch. remed. utr. fort. Dial. 103. *b)* Eryc. Putean. Dissert. de Induc. Belg. habit. in Acad. Lovan. *c)* Lips. de Induciis ep. an. 1595. *d)* Boxhorn. Pol. lib. 1. cap. 13. not. ad §. 9. *e)* Traj. Boccalini Relat. cent. 2. cap. 89. *f)* Turfellin. in Chron. sub Imp. Vencesl. *g)* Thucyd. lib. 4. *h)* Polydor. l. 3. Gvevara Horol. Princ. lib. 2. cap. 31. *i)* Flor. lib. 1. cap. 12. *k)* Thucyd. lib. 1. *l)* Paul Æmil. l. 3. *m)* Idem. *n)* Tacit. 2. Annal. *o)* Petr. Justinian. lib. 7. hist. Venet. *p)* Cominæ, bell. Neapolit. *q)* Flor. l. 3. cap. 3. *r)* Id. l. 2. cap. 6. & 7.



Ulteriorem
Utilitatem
afferebat
I. Spoliorum
reportatio
cap. 10. & 15.

XXVII. Atq; hæc erant securitatis stabilimenta, veni-
amus nunc ad utilia, & ecce primum apparent *spolia hostibus e-*
repta. Quotusquisq; enim imitatur Scythas, qui nihil præter
gloriam concupiscebant, a) & Sigismundum Imp. cui satis vi-
cisse videbatur qui hostem fugaverat. b) Qvis est, qui ut Ptole-
meus Demetrio, *ablata bona restituit?* c) nec id opus est.
Nam quos licet interficere, eorum res quoq; rapere & corrumpere
licet. d) Hinc sempiterna lex, res atq; pecunias hostium victori
cedere. e) quare etiam Nero gaudebat, Gallos moveri, na-
ta sic occasione spoliandarum jure belli nobilissimarum provincia-
rum. f) Quo magis autem ad virtutem incendit prædæ deside-
rium: g) eo damnosius est bellum cum iis gerere qui non ha-
bent, quod perdant, h) ubi in acie hostium nihil prædæ; inopes
agrestes; vilia arma &c. i) Ridebitur imprudentia Caroli
Burgundi, quamdiu Philippi Cominæi superstites erunt Com-
mentarii, quod ob ablatum carrum pellibus ovillis onustum, Hel-
vetiis, pacem damniq; restitutionem offerentibus, intulerit bel-
lum, quibus tamen adeo angusta domi res erat, ut cum solis
Burgundorum frenis & calcaribus vix ævari posset. k) Sci-
licet hoc est aureo hamo piscari. l) Cavendum autem, ne o-
missis telis milites prædæ manus impediunt m) & quemadmo-
dum Rhozolani dispersi cupidine prædæ, aut graves onere sarcina-
rum velut vincti cedantur. n) Turpis profecto Romanorum
erat avaritia, cum sarcinis fugientium & pecuniæ magis inha-
rent, quam fugienti Mithridati: o) Turpior erat Constanti-
nopolitanorum negligentia, cum Johannes Comnenus prædam
in Syria captam, Thomæ homini perpetuò inter scribas ver-
sato traderet, in magnam suorum internecionem. p) Tur-
pissima vero Christianorum contra Turcas pugnantium auri
fames, quia, quia ad prædam potius quam ad Victoriâ urgen-
dam instigabantur, victorias nobilissimas è manibus rursus
emittebant. q)

a) Justin. lib. 2. cap. 3. b) Æn. Sylv. lib. 4. de reb. gest. Alphons. c) Justin.
lib. 15. cap. 1. d) Grotius lib. 3. cap. 5. n. 2. e) Cyrus ap. Xenoph. lib. 5. Cyrop.
f) Sveton. Ner. cap. 40. g) Tacit. hist. 4. cap. 26. h) Gvicciardin. hist. lib. 5.
i) Tacit. hist. 2. cap. 13. k) Cominæus Comm. lib. 5. l) Sveton. August. cap. 25.
m) Tac

m) Tacit. hist. lib. 5. cap. 17. n) Idem hist. lib. 1. cap. 79. o) Flor. lib. 3. cap. 5. Joh. Freinsheim. ad hunc loc. plura exempla recenset p) Joh. Cinnam. l. 1. p. 18. q) Ortel. Chron. Ung. ad an. 1444, 1552, 1596. &c.

XXVIII. A spoliis ad ipsam locorum possessionem nos ^{2. Coloniarum} convertimus, quam sibi jure belli vendicabat Romulus. a) Quis ^{cum hostibus} enim propterea Urbes velit eripere, ut eas postmodum reddat? ^{mutatio c. 11.} b) Sed cautione opus, ne jugum recens impositum detrectent & refugiant novi subditi, quem in finem mutatae coloniae, ignoti ignotis juncti, & ab omni seditione facta securitas. Habuit id in animo Archipincerna Sennacheribi, c) cum Judaeis gratiam regis quidem promitteret, ita tamen ut in aliam migrarent regionem. Nec alieni ab hoc consilio Turcae, qui homines libertatis studiosos, eo transferunt, ubi jurisdictio servilis omnem recuperandae libertatis viam praeccludit. d) Hinc Mahomedes cum Lesbium occupasset, Christianos Constantinopolim abduxit: & Solimannus Imperator Cives Albae Regiae Budam, Belgradum alioq; ne aliquid novi molirentur abduxit. Eodem arcano usus Pompejus, Piratas compescebat, cum maritimum genus, a conspectu longe removeret maris, & mediterraneis agris quasi obligaret. e) Atq; hoc si attendamus, obscurum esse non potest, quam ob causam Hannibal extra patriam militans, continuo diversas nationes in exercitu inter se permiscuerit. f)

a) Grotius lib. 2. cap. 6. b) Saveria Symb. 97. c) Esa. cap. 36. 17. d) Joh. Andr. Bossii Disp. de Imper. Turc. habit. Jenae th. 43. e) Flor. lib. 3. cap. 6. f) Liv. lib. 38. Forstn. ad Ann. lib. 11. cap. 24

XXIX. Mira res! eodem die hostes dein cives habuisse, ^{3. Civitatis concessio cap. 12.} a) rei q; publicae potentiam ipsis hostium copiis auxisse ac stabilivisse. Faeda enim vox est Caligulae, b) eoq; turpior, quod de civibus, se optare, ut unam cervicem habeat Romana Civitas, quo facilius uno ictu perire possit: Parum etiam christiana Vicarii Christi Clementis IV. ad Galliae regem Carolum adhortatio c) Vita Corradini Caroli Mors, Mors Corradini Caroli vita: Aureum vero & nunquam satis laudandum Thedorici apophthegma: d) Aliorum forte regum praelia captarum civitatum aut praedas appetere aut ruinas: sibi propositum esse, Deo juvante, sic vincere, ut subjecti se doleant, hoc dominium tardius



acquiritur. Quibus verbis egregie respondet Alexandri ad Hermolaum sermo: se venisse in Asiam, ut illos quos bello subegisset, victoriae suae non poeniteret. Hoc igitur considerans

Roma est in gremium victos qua sola recepit,

Humanumq; genus communi nomine fovit,

Matris non Dominae ritu; civesq; vocavit

Quos domuit, nexuq; pio longinqua revinxit. f)

a) Claudius Imp. ap. Tac. Ann. lib. 11, cap. 24. b) Sveton. Calig. cap. 30.
c) Tac. Pol. Liv. d) Cassiodor. lib. 3. varior. epist. 43. e) Curtius 1, 8. f) Claudian. lib. 3. de laud. Stilic. v. 150.

Conclusio.

XXX. Inspecimus igitur sapientissimum Ducem, in quo an prudentia an fortuna fuerit superior, merito dubitatur. Unicum in eo delictum est, quod Patribus, quos tamen crebro fodicabat, temere se credere ausus fuit. Sic enim discerptus, & in Capream paludem coniectus, post quadraginta annorum molestias & labores funestas ac cruentas obtinuit gratias. Ut autem cognita ejus morte, multitudo in moestum se composuit silentium; ita etiam nos hic fileamus, nostraq; dissertationis finem faciamus.

DEO GLORIA.

— — — — —
Du du Schauplatz tapfrer Helden
Furcht der Fürsten/Haupt der Welt/
Sol ich deinen Ursprung melden
Wie die Tyber an das Feld
Daß nur wilde Thiere trug
Ihre blanke Wellen schlug.

Freylich

Freylieh war das starke Sieben
Weder mit bewehrter Hand
Noch mit Mauren umgeschrieben/
Martis Feld war unbekand.
Wiß daß Zwen der jungen Zucht
Eine Wölffin hat gesucht.

Da gieng dein berühmtes Glücke
Nur in schwachen Samen auff/
Wie die Blumen/ wenn die Blikke
Von der Sonnen ihren Lauff
Durch den kalten Widder ziehn/
Nicht in voller Anzahl blühn.

Ersilich war' es um die Leute
Bey der Nachbarschafft zu thun/
Endlich ließ die süsse Beute
Dich nach keinem Siege ruh'n
Biß der weiten Erden Ziel
Dir zu deinen Füßen fiel.

Daß nun unsre tapfre Deutschen
Des verfälschten Mondens Gold
Asien zur Schande peitschen:
Daß der grosse Leopold
Kron und Apfel führen kan
Das hat deine Macht gethan
Schau

Schau hier läßt sich ein Gemüthe
 Bey den Meißner Linden sehn/
Dieses traut sich in der Blüte
 Seines Alters dir zu nähn/
 Und erklärt wie Romulus Ma che
 Dich auff steiffe Füße bracht.


Dieses sind die ersten Früchte
 Die sein Fleiß getragen hat/
Gott verlenhe von dem Liechte
 Seiner Weißheit fernern Rath/
 Bis die Zeit die alles bringt
 Ihn bis an die Sterne schwingt.

Dieses setze theils die leeren Seiten zu era
 füllen/theils sein gut Gemüthe völz
 ligst zu erklären

M. Christ. Weise/
PRÆSES.








ULB Halle
005 803 330


3



Kitt







10037

432.

1664, 20

25

32

DEI
& Superiorum Gratia

T. LIVII.

ROMULUM,

Discursibus historico-politicis
illustratum,

In Academia Lipsiensi

publicè sistunt

PRÆSES

M. CHRISTIANUS *Weise* /

Zittâ Lufatus

& Respondens

Heinrich Gottlob von Oberländer /

Eqves Lufatus.

ad d. ²⁰/₃₀. April. M DC LXIV.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,
LITERIS COLERIANIS.

